





*Nobilissimo, Clarissimoque Viro,*

**DN. HERMANNO**

**HENR. Wagendarm/**

Osnabrug. VVestphalo,

Fautori, amico, & civi suo perquam dilecto, &  
plurimum honorando,

IN ACADEMIA VVITEMBERGENSI,

A. 1600. XI. Kal. Nov.

**Philosophiæ & LL. AA. Magistro**

solenniter renunciato,

gratulabatur

**M. HENRICUS REUSSNER/**

Ord. Phil. Ascr.

VITEMBERGAE,

Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.





**N**on sapiunt, Clarissime Vir, qvi, more Stoicorum, fataliter res suas definitas esse, atqve evenire, credunt, nec illi probantur mihi, qvi, qvod casus rerum humanarum varii sunt, casu omnia sibi fortuitoqve accidere existimant. Saepe quidem res ita cadunt, atqve eveniunt, ut aliter cadere atqve evenire non possint: Fortuna quoque summis saepe viris, ad res magnas bene gerendas, divinitus adjuncta fuit. Sed vero propterea nihil Fato, qvod Stoicum appellari possit, nihil Fortunae, qvae sit rerum humanarum domina, debetur. Fortuna virtutis comes est: Ut mores erunt & vita, cum vera sapientia prudentiaqve conjuncta, ita fortuna respondebit. Vere itaque sapiunt, qvi tantundem fortunae, quantum consilio & virtuti tribuunt, qvi nihil temere, sed considerate omnia, sapienterqve faciunt, eaqve ratione omnia summa, virtute duce, & comite fortuna, consequuntur. Tu profecto, Clarissime Vir, si quisquam alius, superiorum temporum repetens memoriam, multa Fatis, plura etiam Fortunae tribuere posses, si, ut vulgus imperitum solet, ex opinione omnia, ex veritate nihil aestimare velles. Sed vero praeclare facis, & sapienter, qvod in virtute sola, qvae sanctiore vitae disciplina se tuetur, praesidium omne tuum ponis, nihilqve tibi tribuis, nisi qvod partum est doctrina & studiis, qvae cum literarum dignita-

gnita-

gnitate prudentiaqve singulari conjunguntur.,  
qvae jam in luce posita sunt, & veris doctrinae  
existimatoribus probantur. Ego illud omnino  
laudi tuae tribuo, qvod inter homines moribus  
& natura barbaros, qvi ultimam Asiam atqve A-  
fricam incolunt, considerate prudenterqve ver-  
fari potuisti. Ubi opus erat, pulcherrime ferebas  
secundam fortunam, & adversam aeqve, qvod  
sapientis proprium est. Illud vero maxime ad  
laudem tuam pertinet, qvod, ex qvo longissi-  
mum illud iter tuum confecisti, atqve in con-  
gressum colloqviumqve tot eruditissimorum  
virorum, qvibus excellit Belgium, Dania, & ma-  
jor pars Germaniae nostrae, venisti, non amici-  
tiam, sed foedus contraxisti cum Musis, atqve o-  
mnes harum delicias tibi conciliaisti suaviter, ele-  
gantissimaqve imitandi consuetudine effinxisti  
feliciter. Rostochii primum, anteqvam apud nos  
civem professus es, industriae tuae & virtutis laus  
praecipue explenduit. Ipse ultro fateris, qvod  
multum debeas Joh. Fechtio, Theologo apud  
Rostochiensis summo, Beckero, Grapio, Krake-  
vitzio, atqve aliis, viris amplissimis, omniqve do-  
ctrina abundantibus. His enim, praeter ceteros,  
auctoribus, permultum ad veram solidamqve e-  
ruditionem tuam accessit, qvod tu, vel me non  
monente, summo cum doctrinae tuae fructu, ae-  
stimas. Nostrae ante aliquot annos cum adscri-  
bebaris civitati, ita te ingenio, doctrina, & mori-  
bus

bus probabas, ut omnium, & Patrum, & civium  
nostrorum, studia voluntatesqve tibi, non casu  
iterum quodam, sed virtutis iudicio perfacile  
conjungeres. Videlicet, quod proprium est eo-  
rum, qui ingenio & doctrina alios antecellunt,  
& ad summa quaevis contendunt, illud tibi quo-  
que usu venit, ut domi latere atque in occulto  
esse non potueris, sed saepe in publicum prodie-  
ris, & specimina dederis, periculumque tui ipsius  
feceris, cum in profanis, tum vero maxime eti-  
am in sacris. Quibus omnibus fieri non potuit,  
quoniam una voce, atque una sententia affirmarent  
omnes, tuas sibi placere dotes, & amari indolem,  
moresque longe omnium suavissimos. Neque  
vero solum te amant, vel potius in te amando certant,  
verum etiam, quod reliquum erat, hodierno die ex me-  
rito summos in Philosophia honores, vel non rogati,  
tribuunt, eosdemque laetis acclamationibus ac faustis  
omnibus undique prosequuntur. Ego, qui alio-  
quin omnem operam studiumque, ad decus, atque uti-  
litatem tuam, confero, non possum non vehementer  
laetari, cum videam te, tot inter juvenes, praemiorum  
socios, incedentem, aequissimo Patrum suffragio pri-  
mos ordines ducere, omniumque hominum oculos in  
te convertere. Gratulor itaque ingenue tibi, & no-  
vos illos honores faustos esse ac fortunatos volo.  
Gratulor Parentibus tuis, Fratrique Germano, quem bonae  
artes literaeque jam totum sibi vindicarunt. Gratulor  
denique omnibus, qui tibi favent, eosdemque societate  
gaudii conjungo. Tu vero, Clariss. Vir, perge, ut coe-  
pisti, in cursu illo tuo, quo ad summa quaeque contem-  
dis: Afferet tibi industria & studium, decus so-  
lidum, gloriamque sempiternam.



Ung VI 3

W 18  
V 17







o, *Clarissimoque Viro,*  
**ERMANN**  
**R. Wagendarm/**  
 brug. VVestphalo,  
 civi suo perquam dilecto, &  
 num honorando,  
 IA VVITEMBERGENSI,  
 cci. XV. Kal. Nov.  
 & LL.AA. Magistro  
 iter renunciato,  
 gratulabatur  
**IS REAUSING/**  
 rd. Phil. Afer.

TEMBERGAE,  
 NI SCHROEDTERI, Acad. Typo

